





*24.* *1770.63.* *1770.63. num. 27*  
**EXERCITATIO IVRIDICA**  
QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum delinquens, qui post tortu-*  
*ram perpeccam delictum, quod antea negave-*  
*rat, sponte confitetur, poena affici queat.* *20*

*P 409* Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E

**D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO**

COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIAEC  
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC  
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE  
DECEMVIRO

IN AVDITORIO ICTORVM

D. VII. APR. MDCCCLXX.

P U B L I C E D E F E N D E T

**JOANNES GODOFREDVS SCHRÖER**

DRESDENS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFI







*Vtrum delinquens, qui post torturam perpeſſam  
delictum, quod antea negaverat, ſponſe conſtitetur, poena  
affici queat.*

§. I.

nterest reipublicae, ut cives legibus conve-  
nienter vivant: nihilque fufcipiant, quod  
pacem offendit externam, & tranquillitatem,  
quae civitatem conſervat, deſtruit. Ejus rei  
cauſa violatores legum iſ, qui jurisdictioni praeceſt coeſet, &  
illorum temeritatem, ut alii ab ejusmodi factis illicitis deterre-  
antur, reſtringit. Poena etenim eſt malum paſſionis propter  
malum actionis ad id, ut evitemus concurſum facinorum. Hinc  
inde leges vel certas determinaverunt poenas, a quibus iudex  
nec in decidendo, nec exequendo recedere, ſed eadē ſtricte  
obſervare debet, vel arbitrio iudicantis commiſerunt, ut iſ pro  
gravitate facinoris, & circumſtantiarum qualitate iuſtriam  
reipublicae illatam vindicare poſſit. Imposſibile enim eſt,  
certam poenam cuilibet imponere delicto, cum ſoleant mul-

## IV

ta perpetrari, circa quae modus puniendi delinquentes ex diversitate circumstantiarum, vel circa personam, vel circa factum ipsum obvenientium dependet. Et quamvis non eorum sententiae adstipulor, qui justitiae distributivae in poenis infligendis locum tribuunt, non tamen negare possum, qualitatem personae, quatenus sine illa delictum qua tale non dici potest, interdum efficere, ut poena vel mitigetur, vel penitus tollatur. Cujus rei exempla in legibus non deficiunt. Sic in blasphemia, delicto horrendo, & quod vix de homine, quem sana ratio a caeteris separat animalibus, cogitari potest, ob aetatem, vel poenitentiam tempestive probatam mitigatur poena. Pariter in crimenincestus in linea adscendente & descendente perpetrati, circa quod poena gladii jure Saxonico Electorali obtinet, disposuit legislator Const. El. XXII. P. IV. Da aber wegen der Jugend oder anderer wichtigen Umstände Linderung solcher Strafe furzunehmen, so soll diese Personen mit Steupenschlägen unserer Lande verwiesen werden.

## §. II.

Circa delicta eorumque investigationem duplē observamus modum. Aut enim per solemnē accusationē, aut per solam denunciationē inquirimus, & delinquentes condigna afficimus poena. Prior modus jure romano potissimum obtinuit, quod titulus Pandectarum *de accusationibus* probat. Circa posteriorem an penes Romanos extiterit, inter Doctores, juris criminalis studium qui tractant, non exigua est discordia. Plurimi, inter quos eminent illūstris Thomasius in differ-

dissertatione de origine processus inquisitorii, natalia inquisitionis solummodo tribuunt Juri Papali, & Pontifices huic processui dedisse auctoritatem, adfirmant, quae sententia ex c. 32. C. 23. Qu. 5. c. 9. 17. 19. 21. & 24. X. de Accus. & Inquisit. applaudum mereri videtur. Ast si rem paulo accuratiuſ perpendere velimus, distinguendum eſſe putarem inter originem & formam processus inquisitorii. Inquisitionem legibus mosaicas fuisse in uſu, apparet ex Devtr. XIII. c. v. 12. si audieris, dicitur, *de aliqua civitate tuaram, ubi inquisiveris ē pervestigaveris ac percundatus fueris bene, si ecce vera certaque erit res illa, si commissa fuerit abominatio in medio tui, omnino percutito habitores, & c. 17. v. 14. renunciatumque fuerit tibi atque audiveris, cum inquisiveris bene, si ecce vera certaque illa res erit, si commissa fuerit ēc.* Pariter & legibus romanis suppeditat testimonium Justinianus Nov. CXXIX. c. 21. *Jubemus omnes judices tam militares, quam civiles, per se requirere eos, qui latrociniā aut violentias, aut rapinas rerum, aut foeminarum, aut alia quaelibet in provinciis illicita committunt, ē supplicia legitima eis inferre, neque pro his causis accipere aliiquid consuetudinis nomine.* Quod vero formam inquisitionis attinet, processum ex jure Canonico provenire non ausus sum inficias ire. Cum per accusationem finis non semper obtineri possit, in occulto enim multa manebant delicta, quia accusator, si non rite probare poterat delictum, ob subscriptionem nominis exhorrescebat poenam talionis, alius erat introducendus modus, per quem judici libera dabatur potestas maleficia & scelera non expectato accusatoris libello, praecedente tantum fama, inquirendi.

## §. III.

Sed haec tantum in transitu sint dicta. Progrediamur potius ad quaestione, cuius decisionem inscriptio exercitationis promittit. Quem in finem sequentem suppeditamus casum. Titius ex capite furti suspectus, incidit in inquisitionem. In summaria quam ad articulos facta responfione, delictum ipfi imputatum penitus negat, ast quoniam indicia graviora pleneque probata contra ipsum militant, & delictum poenam capitalem promeretur, ad eruendam veritatem ex sententia ICtorum tortura dicitatur. Aequo animo cruciatus delinquens fert, nec delictum commissum confitetur, hanc ob rem nihil supereft, quam ut ab inquisitione absolvatur, & pro innocentia declaretur. Sed antequam haec sequatur sententia, delinquens sponte accedit judicem, & furtum commisſe profitetur, pariterque circumstantias, quae summum probabilitatis gradum efficiunt, recenset. Oritur nunc quaestio, utrum haec confessio ad poenam irrogandam quicquam efficere possit.

## §. IV.

Negari non potest, confessionem delinquentis, si de certitudine corporis delicti constet, id operari, ut per sententiam poena, quam gravitas facinoris perpetrati promeretur, imponi confitenti possit. Qui sententiam, ait *Constantinus l. 16. C. de Poen. latus est.* temperamentum hoc teneat, ut non prius capitalem in quempiam promat, severamque sententiam, quam in adulterii, vel homicidii, vel maleficii crimine, aut sua confessione, aut cer-

te

*te omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerint dediti, in unum conspirante concordanteque rei finem convictus sit &c. cum quo non solum convenit jus Canonicum c. 4. X. de testibus, sed etiam ordinatio Criminalis Caroli V. artic. 22. verbis: denn soll jemand endlich zu peinlicher Strafe verurtheilet werden, das muss aus eigen Bekennen, oder Beweisung geschehen. Quod si itaque confessio judicialis plene probet, confessus etenim, ex sententia Pauli l. i. ff. de confessis, pro judicato est, qui quodammodo sua sententia condemnatur, tantamque vim haec confessio producat, ut ab eadem nullo modo l. un. C. de confessis recedere licet. Frustraneum videtur dubium, utrum poena, quam reus spontanea liberaque confessione sibi contraxit, locum obtinere queat.*

## §. V.

*Huic accedit, quod tortura si eandem perpessus est delinquens, praesumtionem tantum innocentiae operetur. Exinde fit, ut tortura reiterari, & delinquens cruciatibus de novo subjici queat, si nempe contra illum ex postfacto graviora & evidentera orientur indicia. Ait enim Paulus l. 18. §. 1. ff. de Quæst: reus evidentioribus argumentis oppressus, repeti in quæstionem potest. Quod etiam confirmat constitutio criminalis art. 58. Die peinliche Frage soll nach Gelegenheit des Argwohns der Person viel, oder wenig, hart, oder linder, nach Errichtung eines guten vernünftigen Richters fürgenommen werden. Cum quo & convenit Const. Saxon. Elector. inedita IX. conf. Carpzov. Prax. Crimi. Qv. 125. n. 39. 40. 41. 42. 43. & 44. Gribner in dissert. de repetit. torment. §. 9. p. 21. Ratio hujus rei haec vide-*

## VIII

videtur, quod praesumtio in regula admittat probationem in contrarium. Hoc enim efficit natura praesumptionis, cui convenit, ut in dubio rem habeamus pro vera, quia nobis de contrario non liquido constat. Optimum testimonium exhibet Modestinus. l. 24 ff. de Probat. & Praesumt. si chirographum ait cancellatum fuerit, licet praesumptione liberatus esse debitor videtur, in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostenderit, reste debitor convenitur. Expediti scilicet juris est, l. 2. §. 1. ff. de Pa&t. redditionem chirographi, quod etiam ob paritatem rationis ad cancellationem adplicatur, id efficere, ut inter creditorem & debitorem convenisse videatur, ne creditor peteret, profuturamque exceptionem conventionis esse debitori. Praesumit itaque Paulus liberationem debiti, quae praesumtio proxime accedit veritati, cum non credendum sit, creditorem redditurum esse instrumentum, ex quo liquida ejus est petitio, nisi animum remittendi habuerit. Nihilominus tamen Modestinus citata lege 24. ff. de Probation. admittit probationem in contrarium, & veritatem vincere praesumptionem declarat.

## §. VI.

His praefrustis, inhaeremus principio, delinquentem torturam percessum pro innocentia haberi. Quod enim vere sit innocens, & delictum imputatum non commiserit, neutiquam potest affirmari, cum non deficiant homines facinorosi, qui intrepide tormenta sustinent, & ut effugiant poenam mortis promeritam, conservandae vitae causa, eadem pro ludibrio habent.

habent. Haec praesumtio tamdiu reum defendit, donec existit contrarium, veritas enim praesumptioni cedit. Quid vero quae-  
so de veritate nos melius convincere potest, quam ipsa delin-  
quentis confessio? Ponas casum, infandicidam tormenta,  
quae corporis cruciatus eosdemque haud leves excitant, ae-  
quo tulisse animo, & in negatione perseverasse, postea vero  
sponte accedere, & delictum confiteri. An ipsius asserto si-  
dem denegaveris? Nemo enim in propria saevire viscera  
praesumitur, imo rationi repugnat, existere hominem, qui,  
dum dolores graves, ne vivere desinat, passus est, postea, quam-  
vis immunitatem poenae sciat, sibi accelerare velit mortem,  
cum studium conservandi vitam natura omnibus creaturis  
commune esse voluerit.

## §. VII.

Sed quamvis haec veritati proxime accedere videantur,  
majora tamen ea sunt argumenta, quae, ut contrarium sequar-  
mur sententiam, suadent. Expediti nempe juris est, effe-  
ctum torturae in negante duplicum esse. 1) ut liberetur  
reus ab indiciis, quae causam dabant tormentis; 2) ut  
reus per sententiam ab ipso crimine absolvatur, quod ante  
decisionem Electoralem novissimam XXXVII. de anno 1746.  
dicasteria Saxonica ad sumptuum praestationem extenderunt,  
& delinquentem ab eorum restituzione immunem judicave-  
runt. Remotis itaque indiciis incertum redditur delictum,  
cum confessio sola delinquentis ad irrogandam poenam haud  
sufficiat. Argumentum, quod causam illustrare potest, sup-

B

pediat

peditat tortura sine indicis legitimis suscepta, hoc enim in casu, quamvis sub tormentorum cruciatibus reus confiteatur factum, eandemque confessionem in actu ratificationis repetierit, nunquam tamē ad poenam delicto legibus determinatā deveniri potest. Objicies forsan, diversam adesse rationem, cum inquisitio deficientibus indicis legitimis instituta ipso jure habeatur pro nulla, quapropter, cum tortura decerni non debuisset, confessio sub eadem facta delinquenti praejudicium neutquam infert. Concedam equidem hoc, ast si post confessionem & torturam legitima superveniant indicia, an tunc ex confessione sua & postea adinventis indicis condemnari possit? Placet equidem Pari de Putaeo in tractat. de Syndic. verb. tort. c. 9. n. 2. affirmativa opinio, confessionem sequentem ortam ex perseverantia spontaneam esse, eamque ex defectu indiciorum praecedentium invalidam reddi minime posse, cum presumatur reus conscientia criminis perseverare. Ast in praxi contrarium receptum scimus, & meliori jure contendimus, perseverantium expressam vel tacitam non tollere defectum indiciorum legitimorum, multominus severam in reum ferri posse fententiam, repertis etiam postea indicis. conf. Zanger in tract. de quaest. & tort. c. 5. n. 33. Hippol. de Marsl. in l. pen. n. 16. ff. de quaestion.

## §. VIII.

Quod si itaque haec Confessio ad decernendam poenam nihil conferre valeat, multominus is, qui sub tortura delictum

lictum negavit, postea vero se sponte reum professus est, poenam delicti convenientem expectabit, cum in priori casu majora adhuc pro decernenda poena militent argumenta, quam in posteriori. In illo etenim non deficiunt indicia legitima, haec vero tantam habent vim, ut si reus in responsione ad articulos confessus fuisset scelus, sine tortura, nisi momenta defensionis habuisset in promptu, poena ordinaria ferri potuisset. Ast in hoc, indicia, quae nobis videbantur legitima, per tormenta, quibus subjiciebatur delinquens, penitus remota & elisa sunt; quam ob causam, cum praeter confessionem rei nihil, ex quo delictum colligi possit, remaneat, & haec deficientibus indiciis, uti in superioribus demonstravimus, nihil efficiat, analogiae juris convenientem opinionem, poenam, quae in regula confitenti imponi potest, penitus cessare, adprobamus.

#### §. IX.

Nec obstat, quod, uti in §. V. diximus, reus tormenta passus, tantum in presumtione innocentiae sit constitutus, quae vero per probationem contrariae potest elidi. Insistimus potius huic principio, cum tortura sit medium eruendi veritatem & probandi innocentiam. Sed alia est quaestio, utrum illius, qui sub tormentis negavit delictum, ex post facto accedens confessio probationem in contrarium efficiat, quod omni tempore negamus. Praesumptio etenim cedit veritati, hinc ut de veritate non sit dubitandum, ad elidendam praesumptionem requiritur. Quis vero adfirmare poterit, hanc

B 2

con-

## XII

confessionem efficere, ut, an delictum imputatum vere sit commissum, dubium moveri non possit. Omnis potius fides deneganda est reo, qui sibi met ipsi contradicit, & id, quod sub tortura negavit, postea sponte profitetur. Excitat delinquens praesumptionem, quod ex taedio vitae scelus profiteatur, & cum nemo vitae membrorumque suorum sit dominus, injustitiae notam committit judex, qui ex tali confessione poenam, quam probata per tormenta innocentia delinquens de jure nunquam promeretur, eidem imponit. Judex etenim sententiam secundum leges ferre tenetur, hae vero in poenis infligendis non ad solam rei confessionem, sed an ea veritati conveniat, respiciunt.







*Ch.*

**ULB Halle**  
004 997 506

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-173339-p0018-8

DFG



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farkarte #13

Green

Cyan

Blue

# EXERCITATIO IVRIDICA

## QVAESTIONEM CONTINENS

*Vtrum delinquens, qui post torturam perpeccsam delictum, quod antea negaverat, sponte confitetur, poena affici queat.*

Q V A M

# ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTIS BVRG. CAPITVL. CVRIA  
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC  
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE  
DECEMVIRO

# IN AVDITORIO ICTORVM

D. VII. APR. MDCCCLXX

P V B L I C E D E F E N D E T

# JOANNES GODOFREDVS SCHRÖER

DRESDENS

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPF

